

fixa coniunctum, aut in tali gradu alicuius signi existere, alio vero die discessisse ab illa stella, seu gradu, versus partes orientaliores, vt luce clarior nos etiam quotidiane experimur. Nulla igitur ratione dubitari potest, septem orbes planetarum præter motum diurnum ab oriente in occidente moueri quoq; paulatim, & repedare quodammodo ab occidente in orientem.

NEQUE vero diuersa via repererunt octauum etiam cœlum ab occidente in orientem moueri. Quamuis enim antiqui fere omnes ante Aristotelem crediderint, stellatum illud cœlum unico tantum illo motu cieri ab oriente in occidentem, quoniam videlicet cernebant omnes stellas fixas easdem inter se seruare distantias, locaq; ortuum, & occasuum eamdem non variari, sed semper in eiusdem locis eas oriri & occidere, ob exiguum temporis intervalium, in quo hec obseruabant: Tamen post Aristotelem multo secus rem esse habere deprehensionem est. Nam vt ait Ptolemyus Dictione septima cap. 2. & Ioam. Regiomont. in Epitome eiusdem Dictionis propos. 2. Distantia stellarum fixarum a punctis Solstitialibus & Äquinoctialibus, non manet eadem semper, sed crescit. Augetur secundum successionem signorum, id est, versus orientales partes progrediendo, ita ut stelle, que. v. g. antiquo tempore fuerint ante puncta solstitialia, & Äquinoctialia, modo reperiatur post ipsa puncta solstitialia & Äquinoctialia, ut ex obseruationibus antiquorum, & recentiorum liquido constat: Et quo maius tempus inter considerationes antiquorum, & recentiorum intercedit, eo etiam magis inueniantur a sedibus, locisq; antiquis stelle secundu successione signorum elongatae, cuius rei plurima exempla in mediū adducunt Ptolemyus, & Ioam. Regiomon. locis citatis: Nos vnum aut alterum dunt taxat afferemus, Timocaris obseruans cursum stellarum, reperit stellam Azimech, quam Latini spicam virginis dicunt, ante punctum Äquinoctij autumnalis, id est, ante principium ♐ primi mobilis, 8. fere grad. hoc est paulo post 22 grad. ip, siue in principio 23 grad. ip. Post hunc vero ducentis fere annis clapsis, Abrachis & Hipparchus, eandem stellam repererunt 6. tantum grad. ante illud punctum, videlicet in principio 25. grad. ip, & post hos Ptolemyus eandem stellam plus accessisse, secundum proportionem temporis interiecli, ad principium ♐ inuenit; idemq; obseruarunt Astronomi ipsum sequentes, re Albategnius, Auenefra, Zacuth, & alijs, adeo ut hac nostra tem-